

tante (secundum leges) mala fide possessoris. Alia tandem dicitur « Præscriptio mixta, » qualis est, quæ cum titulo, ac bona fide procedit contra privatum decem vel viginti annis; vel sine titulo, bona tamen fide, annis triginta. Glossa in l. *Sicut in rem. §. Per executorum*, et Bartolus ibid. §. *Quaedam præscriptio. triginta vel quadraginta annor.* Covarruvias d. part. II. in c. *Possessor.* §. 12. n. 4. et alii. Atque hæc distinctio impresentiarum est bene notanda: cum enim in iudicio plures soleant actus intervenire, ut puta, citatio, litis contestatio, ac huiusmodi; sufficit quidem unus talis actus ad interrompendam unam præscriptionem, non tamen ad aliam. Unde.

207. *Usucapio triennalis non interruptitur per litis contestationem.* — Resp. I. Usucapio triennalis bona fide, et cum titulo inchoata, non interruptitur per litis contestationem, imo procedit, ac perficitur etiam durante lite: ita tamen, ut si dominus durante triennio litem contestatus, postea rem evicerit, seu probaverit esse suam, res illa domino restitui debeat, non obstante usucapione. Ita textus in l. II. §. fin. ff. *Pro emptore.* et Bartolus ibid. asserens quod usucapio triennalis non interruptitur litis contestatione, nisi in effectu. Concordat textus in l. *Si post acceptum.* ff. *de Rei vendicat.* ac notat Abbas c. *Illud autem.* n. 11. h. t. Covarruvias cit. n. 4, concl. 1. Pirhing h. t. n. 134. et alii. Accedit ratio: quia usucapio est præscriptio mere favorabilis, seu inducta in favorem possidentis tantum; unde noluerunt iura, interrupti per litis contestationem, cum sufficere possit domino rem suam repetenti, si promanet rem esse suam.

208. *In usucapione dies ultima incepta, habetur pro completa: secus in aliis præscriptionibus.* — Idem probatur a simili: quia in usucapione, utpote inducta in favorem possidentis tantum, dies ultima cœpta habetur pro completa; ut l. *In usucapione* ff. *de Divers. et temporal. præscription.* et l. 6. ac 7. ff. *de Usucapion.* Quamvis secus sit dicendum in cæteris præscriptionibus, ut l. *In omnibus* ff. *de Actionib. et obligat.* nam cæteræ præscriptiones non sunt inductæ ob merum favorem possidentis.

209. *Si tamen dominus, durante triennio litem contestatus, postea rem evicerit, debet ista eidem reddi.* — Dices. Si lite durante adhuc procedit usucapio; ergo usucapione completa non amplius res evicta per sententiam domino

suo restitui; cum dominus esse desierit, ac possessor eam usuceperit. Hanc instantiam movet Glossa l. *Si post acceptum §. Tradere.* et Bartolus ibid. ff. *de Rei vendicat.* et plures affert solutiones. Cæteris tamen dimissis, respondetur neg. sequel. cum sua probatione: quia licet usucapio post litis contestationem per bona fidei possessorem completa, dominus rei non in illas habeat actionem directam ad eam recuperandam; habet tamen actionem utilem, quæ eidem ex æquitate competit. Unde summarium in cit. l. *Si post acceptum*, notanter sic inquit: « Si pendente iudicio jus actoris perimitur absque facto suo, ex facto rei, pervenitur ad condemnationem ac si peremptum non esset. » Et hinc per litis contestationem usucapio non interruptitur ipso iure, sed ex effectu bene. Bartolus loc. cit. in fin. Abbas d. n. 11. et alii.

210. *In quo sensu usucapio non interruptitur per litis contestationem?* — Accedit, quod usucapio per litis contestationem etiam in tantum non interruptitur, sed procedat post litem contestatam, ut si actor quacunque de causa litem non prosequatur, usucapio non debeat de novo inchoari; imo ad eam complendam etiam tempus litis possit computari. Secus enim foret dicendum, si revera per litis contestationem usucapio triennalis interrupteretur: uti patet in aliis præscriptionibus, quæ si semel cœptæ interruptantur, sunt de novo inchoandæ.

211. *Præscriptio mixta interruptitur per litis contestationem: præscriptio odiosa vero per solam citationem.* — Resp. II. Præscriptio mixta, id est, decem vel viginti annorum, cum titulo, et bona fide (aut triginta annorum cum bona fide, licet sine titulo) interruptitur per litis contestationem, coram iudice tamen competenti factam; non vero per solam citationem, juxta textum in l. *Mota litem.* C. *de Rei vendicat.* juncta l. *Si patertuus.* C. *Ne de statu defunctorum.* etc. Præscriptio autem mere odiosa, seu quæ mala fide olim procedebat ob segnitiam, ac negligentiam non repetentis rem suam tempore longissimo, interruptitur etiam per solam citationem, l. *Cum notissimi.* C. *de Præscription.* *triginta vel quadraginta annor.* Ita Glossa l. *Sicut in rem. §. Per executorum.* et Bartolus ibid. eod. Abbas c. *Illud autem.*, n. 11. h. t.; Covarruvias cit. part. II. §. 12, n. 4; Pirhing h. t. n. 134; Gailus lib. I. *Practic.* observat. 74. n. 20. et seqq. et alii.

212. *Et ratio disparitatis.* — Ratio posterioris partis est, quia per citationem, ad petitionem actoris antea negligentis factam, jam cessat ejus de negligentia: unde merito per talem citationem censetur interrupti ejusmodi præscriptio odiosa; prout jam dictum supra tit. III. *De libelli oblatione.* §. 3. n. 109. Ratio vero prioris partis est, quia præscriptio mixta currit tam favore possidentis, quam odio negligentis; hinc in ea legislatores elegerunt mediam viam, ut non interruptatur per solam executoris missionem, seu citationem auctoritate iudicis factam, ut præscriptio odiosa: bene tamen per litis contestationem; licet secus in usucapione triennali, veluti præscriptio mere favorabili, per jura proxime allegata.

213. *Præscriptio mixta an interruptatur per quacunque litis contestationem, vel ulterius requiratur animus prosequendi litem? Refertur sententia affirmans requiri talem animum.* — Num autem præscriptio (mixta videlicet) interruptatur per quacunque litis contestationem, vel ulterius requiratur animus prosequendi litem, sive causam deducendi ad finem: variant doctores. Et quidem requiri talem animum prosequendi litem (de quo ex circumstantiis, juxta prudens iudicis arbitrium, constare debet) adeo, ut ad interruptionem præscriptionis requiratur, quod quis eo animo litem contestetur, ut ducat causam ad finem, nisi impediatur propter fortuitos casus; alias vero ejusmodi contestatio litis non prosit ad interruptionem præscriptionis: tenet Glossa in can. *Placuit.* §. *Potest. §. Interrupta.* 16. quæst. 3. ubi Glossa margin. citat plures alios. Auctores pro hac sententia. Abbas c. *Illud autem.* n. 13. h. t., Lessius lib. II. *de Justit. et jur.* cap. vi. n. 49; Pirhing h. t., n. 134. Eademque sententiam egometipse secutus sum tract. VII. *Theolog. moral.* dist. 6, n. 30, quæ etiam probatur, argumento a sensu contrario desumpto, ex l. ult. c. *de Præscription.* *triginta vel quadraginta annor.* ubi ejusmodi interruptio præscriptionis admittitur duntaxat in casu, quando actor « in iudicium venit, et subit certamen, litem autem implere per quosdam casus præpeditus est. »

214. *Contraria sententia in praxi haud immerito tenetur.* — Oppositam nihilominus sententiam tenet Glossa in l. ult. §. *Humanae.* c. eod. asserens, quod prior sententia fuerit Alberici, sed « alii omnes doctores contrarium dixerunt. » Eademque Glossam,

post plura in favorem prioris sententiæ dicta, commendat Jason l. *Ex hoc edicto.* n. 11. ff. *De eo, per quem factum erit.* Covarruvias cit. part. XII, n. 4, concl. 2, in fin. asserens, hanc Glossam sequi doctores communiter, ipsamque apparere veriore. Atque istud allegasse sufficiat: nam textum juris, specialiter illud determinantem, videre non licuit; licet in praxi, ob difficultatem probandi animam contrarium, atque periculum prolongandi lites, haud immerito hæc posterior sententia propter auctoritatem tantorum doctorum observari valeat.

215. *Præscriptio ulterius interruptitur civiliter adeundo iudicem, eique libellum offerendo contra absentem.* — Resp. III. Præscriptio ulterius interruptitur civiliter, quando non valens litem contestari iudicem adit, eique libellum offert contra absentem, seu contra eum, qui aliqua de causa conveniri nequit (puta, quia est furiosus, aut impubes tutorem non habens, vel in magna potestate constitutus) atque in memorato libello querimoniam de re sua per alterum possessa, intra tempora a Jure statuta deducit: hoc enim sufficit ad plenissimam interruptionem præscriptionis ab altero inchoatæ. Textus est in l. *Ut perfectius.* c. *de Annali exception.* et l. *Nemo ambigit.* c. *de Acquirend. et amittend. possess.*

216. *Item per sacrum oraculum.* — Resp. IV. Rursus interruptitur civiliter præscriptio per sacrum oraculum: hoc est, per petitorium, seu rescriptum principi porrectum, quando per executores seu nuntium postea subsecuta est citatio, l. *Sicut in rem.* c. *de Præscription.* *triginta vel quadraginta annor.* Glossa fin. c. *Illud autem.* et Abbas ibid. n. 13. h. t.

217. *An etiam interruptatur per denuntiationem extra iudicium factam?* — Per solam vero denuntiationem extra iudicium factam regulariter non interruptitur præscriptio: nam denuntiationes extrajudiciales non constitunt possessorem in mala fide post præscriptionem jam inchoatam; juxta textum l. penult. ff. *Pro emptore;* Abbas c. *Nihil prodest.* n. 9. h. t.; Bartolus in l. *Naturaliter.* ff. *de Usucapion.* et alii. Secus, si a principio facta fuisset denuntiatio; puta, a domino denuntiante, ne quis rem emat, cum non sit distrahens: quia talis denuntiatio constituit emptorem malæ fidei possessorem, l. *Si fundum.* c. *de Rei vendicat.* Abbas cit. n. 9. et alii. Idem dicendum de præscri-

ptione, quæ procedit cum mala fide; hoc est, a debitore conscio, quod debeat alteri servitutem, vel quid aliud, si exigatur, conformiter dictis n. 107. et seqq. Talis enim præscriptio interruptitur per solam citationem, vel denuntiationem, utpote per quam virtualiter exigit dominus suum debitum, l. *Sicut in rem.* et l. *Cum notissimi.* § 1. et § *Imo et illud.* c. de *Præscription. triginta vel quadraginta annor.* Pirhing h. t. n. 134.

218. *Præscriptio semel interrupta potest denuo inchoari, non solum interrupta naturaliter.* — Quæritur V. Utrum præscriptio semel interrupta, possit denuo inchoari? Resp. I. Certum est, quod præscriptio naturaliter interrupta, puta, per amissionem possessionis rei præscribendæ, possit cessante impedimento, v. g. recuperata possessione, a bonæ fidei possessore denuo inchoari; dummodo nova, seu a tempore cessantis interruptionis computanda præscriptio instituatur. Ita Covarruvias part. II. in c. *Possessor.* § 12 n. 6. asserens, hoc esse constitutissimum: quamvis de interruptione civili major sit difficultas.

219. *Sed etiam interrupta civiliter: et qua ratione?* — Resp. II. Etiam præscriptio civiliter interrupta, potest denuo cum bona fide, et concurrentibus cæteris requisitis inchoari: quamvis, si litis fuerit contestata, requiratur tempus quadraginta annorum ad præscribendam etiam actionem, utpote quæ per litis contestationem fuerat perpetuata, juxta l. ult. c. de *Præscription. triginta vel quadraginta annor.* estque jam dictum supra n. 176. Ita Abbas c. *Illud autem.* n. 18, h. t., asserens quod tempus novæ præscriptionis sit inchoandum non a die factæ contestationis litis; sed a die, qua partes cessarunt litigare, puta, post peremptam instantiam. Covarruvias cit. § 12, n. 7; Pirhing h. t., n. 135. citans alios; atque hinc inferens, quod si intra dictos quadraginta annos ipsemet actor, vel hæredes ipsius actionem iterum intentent, et in judicio vincant, res debeat eis restitui; haud obstante, quod interea temporis jam fuisset præscripta. Siquidem actio per litis contestationem jam fuerat perpetuata.

220. *Beneficium restitutionis in integrum competit minoribus, Ecclesiis, etc., adversus præscriptionem contra eos completam.* — Quæritur VI. An minoribus, ecclesiis, et hujusmodi, competat beneficium restitutionis in integrum adversus præscriptionem contra

eos jam completam? Resp. Affirmative; idque intra quadriennium continuum, postquam præscriptio adversus ecclesiam, vel minorem viginti quinque annis, fuit completa. Textus est in l. un. c. *Si adversus usurpationem.* juncta l. ult. c. de *Temporib. in integrum restitut.* ac fuse tradit Covarruvias part. III. in c. *Possessor.* § 3, n. 1. et seqq.; Layman lib. III. *Theolog. moral.* tract. I. cap. VIII. n. 20; Pirhing h. t., n. 138 et alii. Videantur, hucque applicentur dicta superius lib. I. tit. XLI. *De in integrum restitutione.* per totum.

## TITULUS XXVII.

## De Sententia et re judicata.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quia allegatis utrinque probationibus, quibus vel actor suam intentionem fundare, vel reus eandem propulsare atque elidere conatur, per Judicem super negotio principali ferenda est sententia diffinitiva: merito compilerator juris canonici post expeditum tractatum processus judiciarii, pergat nunc ad sententiam, utpote per quam finis litibus imponitur. Pro cuius meliori delaratione sit.

## § 1.

DE SENTENTIA UT SIC, EJUSQUE DIVISIONE IN DIFFINITIVAM ET INTERLOCUTORIAM, HARUMQUE DIFFERENTIIS.

2. *Cur rubrica præsentis tituli inscribatur: De Sententia et re judicata? Sententia, et res judicata, sunt valde affinia.* — Quæritur I. Cur rubrica præsentis tituli inscribatur, «De Sententia et re judicata;» et an differant? Resp. I. Rubrica tituli hujus merito inscribitur non solum «de Sententia,» sed «de Sententia et Re judicata» simul, eo quod ista duo sint valde affinia. Nam sententia lata, si non appelletur ab ea, sumit nomen «rei judicatæ:» ut notat Glossa ad rubric. h. t. et Joan. Andreas, et Abbas n. 1. ibid. Concordat textus in c. *Cum dilectus.* 32. § fin. de *Election.* et c. *Cum inter.* 13. h. t. ubi expresse dicitur, quod «sententia in rem transeat judicatam, cum intra decennium non fuerit legitima provocatio (seu appel-

latione) suspensa.» Sive, quod «post decem dierum spatium, sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ;» ut loquitur Pontifex c. *Quod ad consultationem.* 15 h. t.

3. *Datur tamen inter eas aliqua differentia; et quæ?* — Resp. II. Datur nihilominus aliqua differentia inter sententiam, et rem judicatam. Ita Abbas ad rubric. h. t. n. 1. Jason in l. *Res judicata.* n. 1. ff. de *Re judicat.* et alii. Idque desumitur tum ex copula *Et*, quæ habetur in rubrica præsentis tituli, et ponitur inter diversa. Tum etiam ex eo, quia in jure Civili extat distinctus titulus «*De Re judicata*» inscriptus, et alius *de Sententiis*, etc.

4. *Sententia est res judicans: materia vero, super qua fertur, est res judicata. Et differunt sicut decidens, et decisum.* — Accedit ratio, quia proprie et stricte loquendo, «Sententia» est res judicans; materia vero, seu quæ judicatur, est «Res judicata:» sive, quod idem est, «Res judicata» dicitur illa, quæ accipit finem controversiarum ex sententia judicis, ac proinde se habet per modum patientis: «Sententia» vero est ipsamet pronuntiatio, sive decisio judicis causam terminans, et finem litibus imponens, sicque sese habet per modum agentis. Unde apparet, quod differant sicut decidens, et decisum, eo quod res judicata sit ipsa lis seu causa decisa, atque terminata; prout notat Jason in l. *Res judicata.* n. 1. ff. de *Re judicat.* Valensis h. t. § 1. n. 2. et alii.

5. *Sententia potest sumi dupliciter: et in quo sensu dicatur transire in rem judicatam? Sententia ante lapsum decennii dicitur res judicata large solum, et improprie; postea vero proprie, ac irrevocabiliter.* — Dices. Si sententia est res judicans, seu se habens per modum agentis, ergo non potest transire in rem judicatam; utpote cui correlative opponitur, veluti actio et passio. Resp. cum Abbate ad rubric. h. t. n. 1. et 2. quod sententia possit dupliciter sumi. *Primo*, pro ipsa actione judicis sententiantis, seu sententiam proferentis: quo modo sententia non transit in rem judicatam, ob rationem allatam. *Secundo*, pro objecto ipsius, seu pro causa patiente. Et in hoc posteriori sensu sententia ante lapsum decennii dicitur «Res judicata» large duntaxat, et improprie: post elapsam vero spatium decem dierum, si non fuerit appellatum, vocatur «Res judicata» proprie, ac irrevocabiliter; sicque dicitur «sententia transire in auctoritatem rei judicatæ,» juxta allatum

textum c. *Quod ad consultationem.* 15. h. t. Atque in hoc sensu est intelligendum illud, quod l. I. ff. de *Re judicata*, habetur in hæc verba: «Res judicata dicitur, quæ finem controversiarum pronuntiatione judicis accepit: quod vel condemnatione, vel absolutione contingit.» Concordant dicenda inferius § 4. n. 105. et seqq. ubi ex professo agitur de Re judicata.

6. *Sententia dicitur a sentiendo; sicque plura significat.* — Quæritur II. Quid, et quotuplex sit Sententia? Resp. I. Generalim loquendo, Sententia dicitur a *sentiendo*. Atque in hac generali acceptione plura sub se continet, variasque habet acceptiones. Quandoque enim sententia, potest dici cujuslibet energeticæ orationis significatio; ut ibi: «Sententiæ Patrum.» Quandoque ponitur pro opinione magistratum, qui in hoc sensu dicuntur «sententias ferre.» Quandoque appellatur sententia, quidquid alicui de re quapiam placet, juxta illud vulgatum: «Quot capita, tot sententiæ.» Quandoque etiam excommunicatio, suspensio etc. dicuntur sententia excommunicationis, suspensionis etc. Verum in proposito «Sententia» sumitur pro oratione, per quam judex, qui super causa controversa sentiat, legitime pronuntiat.

7. *Sententia quantum ad propositum, dividitur in diffinitivam, et interlocutoriam. Interlocutoria tamen non est proprie sententia; et cur?* — Resp. II. Sententia taliter accepta, quantum ad propositum, dividitur in sententiam diffinitivam, et interlocutoriam. Ita communis. Quanquam Glossa fin. et marginal. l. *Quod jussit.* ff. de *Re judicat.* juncto textu ibid.; Alexander consil. 50. n. 2, lib. II; Jason cit. l. *Quod jussit.* n. 16, ff. de *Re judicat.* et alii notent, quod appellatione «sententiæ» simpliciter facta, intelligatur diffinitiva: quia interlocutoria non est proprie sententia; eo quod non definiat negotium principale, neque finem controversiæ imponat per absolutionem, vel condemnationem: haud obstante, quod large et improprie appellatione sententiæ etiam veniat interlocutoria.

8. *In dubio nomine. Sententiæ intelligitur diffinitiva, non interlocutoria, etc.* — Inferitur proinde, quod in dubio statutum, vel alia dispositio, loquens de sententia, intelligi debeat solummodo de sententia diffinitiva, non de interlocutoria, ubi aliud non apparet. Abbas c. *Super eo.* 12. n. 6. de *Appellatione.*